



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Thomas Aquinas C. 7. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

membris, singula ipse omnia enarravit. Addo, quod primo omnium loco erat ponendum. Precanti in conspectum MAGNA MATER se & FILIO-
LVVM suum dederat; sed non eum, qui è sinu vel MATRI vel COLETÆ arrideret, sed qui unum jam toto vulnus corpusculo, lacrimis suis commiserationem videretur atque opem exposcere. Adjecit FILIO adgemiscens MATER, illam etiam hodie facinorosorum crudelitatem esse: utique pueritiæ cum primis, quæ vix natum CHRISTVM, vix ipsa nata, non jam uno concidit vulnere. Quin quod placet prævenire Judæorū manus: puerum CHRISTVM in crucem pueri agunt, nec semel agunt. Superi! quid gigantes facient, quando bellum caelo pumiliones inferunt? *Ex Steph. Iul.*

Vide & considera, quanta sit erga te dignatio Dei tui, & obliviscere populum tuum & domum patris tui: de fere carnales affectus, seculares mores dedisce, à prioribus vitiis abstine, consuetudines noxias obliviscere.
S. Bern. serm. de Mut. Aquæ in Vin.

S. THOMAS AQUINAS C. 7. Martii.

THOMAS Aquinatum Comitum sanguis, infans oblata fortè in schedâ verba, quibus MARIAM salutamus, illico devoravit, bellaria omni infantiae danda. Puer in bullâ suâ mundum agnovit, eoque ad D. Dominici castra confugit; sed retractus à tam generosâ fugâ egregiam pugnam edidit, Veneremque ab inimicis domesticis subornatam, & faces sibi admoventem, raptis è foco armis, in fugam agens novo stratagemate ignes ignibus elusit. Ita ubi debellatum est, victoriam gratulati Angeli, balteo virginitatis victorē exornarunt. Ille postea doctrinam virtuti socians, ita de

de Republ. Christianâ meruit, ut inter Doctores sanctiores Princeps habeatur. Certè præclaram censuram CHRISTVS è cruce tulit illis verbis: *Bene de me scripsisti Thoma; merces tua qua erit?* Superi, quibus studiis veteres verbum illud BENE emendicarunt! De stipendio quid dicam? dum præter ipsum, de quo scripserat, petiit nullum, majus non potuit petere. Ad aram porrò cum fecisset, solenne habuit facienti deinde alteri pro ministerio assistere, ut qui idem amant facere in pietate discipuli, illud facere se sciant, quod prior Angelicus Doctor fecit. Denique in unam DEI gloriam coniecit oculos; atque hinc à morte stellâ pectus insignis, dixit eam purâ animi intentione se meruisse. Itaque astra in quæ collimavit, facilè obtinuit: nos quia oculo non cælum amplissimum, sed scopum terram pusillam statuimus, toto cælo erramus. *Ex Surio.*

Nescit vincere vitia corporis, qui deponit cingulum virtutis. Cincti ergo castitatis baltheo, quod est insigne militiae Christianæ, fluxam carnis detruncemus ignaviam, & regis nostri expectatione vigiles, in somnum seculi somnum nesciamus. Pet. Chrysol. serm. 22.

S. EQUITIUS C. 7. Martii.

QUOD paucis datum est, castitatis donū EQVITIVS Angelorum beneficio consecutus est, qui omnem libidinis fomitem auferre à dormiente sunt visi. Qui nosse cupit, quî sibi Angelos tam demeruerit, noverit precibus id fecisse castis, quas si in carnis luctâ cum EQVITIO plures funderent, plures etiam hostem funderent. Cæterum rude donatus miles noster, nihilominus pro castitate sedulus vigilavit. Quare cum Basilium Magum